



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. IX. Crvx Christo vnit, & conformat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CAPVT IX.

CRUX Christo vnit, & conformat.

Cum ipso sum in tribulatione.

Psalm. 90, 15.

Quam leue, Sponsa, iugum CRVCIS efficit
una voluntas!

Te mihi CRUX sociat, me caro sumpta tibi.



DELINITA optimis Christi sermonibus Staurophila, inhiabat magis ac magis suauissimos CRVCIS fructus ex eius ore capere, & carpere: ad Christum proinde conuersa, Obsecro te, inquit, dilecte mi, Perge & alias CRVCIS prerogatiuas exponere, vt tantò libentius eam feram, quantò cognouero utiliorẽ. Vberri- mus, aiebat Christus, & longè præstantissimus fructus is est, quem Psalmista his verbis indicauit: *Iuxta est Dominus ijs qui tribulato* Psal. 33, 19
sunt corde. idemque Deum ita loquentem inducit: *Cum ipso sum in tribulatione, eri-* Psal. 90, 15
piam eum, & glorificabo eum. Quid autem maius? quid excellentius concipi potest, quàm habere Deum sibi præsentem, & auxiliantem in tribulatione? Quare non imme-

ritò idem sibi gratulabatur, Deo dicens:
 Pfal. 22, 4. *Si ambulauero in medio umbræ mortis,
 non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Quid
 enim timeat mali, cum quo summum est
 Rom. 8, 31 bonum? *Si Deus pro nobis*, aiebat Apostolus,
quis contra nos? & quàm confidenter in me-
 Iob 17, 3. dijs ærumnis aiebat ille, *Libera me Domine, &
 pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet
 contra me.* An non præsentissimum hoc
 Dei auxilium expertus est castissimus Io-
 Sap. 10, 13. seph, quem æterna Sapientia *venditum non
 dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum,
 descenditq; cum illo in foueam, & in vinculis
 non dereliquit eum.* Vidésne iam quid illud
 sit, *Cum ipso sum in tribulatione?* tantumdem
 enim valet, ac si dixisset: *Contributor affli-
 ctio: sicut enim qui meus est, in tribulatione
 mecum est; sic & ego in tribulatione cum illo
 sum.*

Origen.
 Tract. 34.
 in Matth.

Interfari volens Staurophila, Licétne, in-
 quit, pace tuâ, Domine, quæ animû meum
 pulsat, proponere quæstionem? Licet verò,
 aiebat Christus. Tum illa: Vereor vt parum
 calamitosus & miseris vera videatur hæc tua
 doctrina. Plerumque enim se à Deo dereli-
 ctos, obliuioni traditos, & prorsus conque-
 runtur desolatos. Et ille ipse Psalmista, qui
 Pfal. 33, 19 ait, *Deum iuxta esse ijs qui tribulato sunt
 corde;* quoties, quæso, expostulat, & conque-
 ritur

ritur se velut desertum? An non hæc illius voces: *Deus, Deus meus, respice in me, quare* Pfal. 21, 1.
me dereliquisti? Et, Ne derelinquas me Domine Pfal. 37, 22
Deus meus, ne discesseris à me? Usquequò Do- Pfal. 12, 1.
mine obliuisceris me in finem, usquequò auer-
tis faciem tuam à me? Quare faciem tuam Pfal. 43, 24
auertis, obliuisceris inopiæ nostræ, & tribula-
tionis nostræ? Quis verò credat Deum præ-
 sentem illi, qui de absentia eius sic lamentatur?

Respondit Christus: Adest quidem Deus afflictis, in quibus patitur, sed presentiam suam non semper manifestat. In tribulatione inuocantem exaudit ipse aliquando in abscondito tempestatis; in quâ veluti tectus latet, & ad iustorum probationem tantisper faciem suam abscondit. *Stat nonnumquam* Cant. 2, 9.
post parietem, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, obseruans scilicet quem-
 admodum athleta pius, non nihil sibi relictus, in acie decertet. *Antonius* ille, magnus Athanas. in Vitâ Anton. cap. 8.
 Eremita incola à dæmonibus *flagellatus atque*
confossus, mirisque modis exagitatus, absentem Dominum, & sui, dum colluctaretur, oblitum credidit, nam cum radium ad se lucis influere cerneret, illicò presentiam Domini intelligens, & ex intimo pectore trahens longa suspiria, dicebat: Vbi eras, bone Iesu? Quare non à principio adfuiisti, ut sanares vul-

nera mea? Et vox ad eum facta est, dicens: Antoni, hîc eram; sed expectabam videre certamen tuum. Ita ergo adest Deus in tribulatione, etiam si absconditus.

Bernard.

Serm. 16.

in Pſal.

Qui habit.

Et fanè ex ipsâ tribulatione, Deum adesse in tribulatione, cognosci potest. *Quis enim sustineret? quis subsisteret? quis persisteret sine eo?* Si mecum Deus, aiebat Staurophila, in tribulatione, quid aliud præter ipsam requiram?

Pſal. 72, 27

* August.

de Trinit.

Mihi adherere Deo bonum est, quia omnes qui elongant se ab eo, peribunt. Quanta enim hominum miseria, cum illo non esse, sine quo non possunt esse? Prorsus ita est, inquit Christus: & vis exemplo hoc discere?*

August.

Serm. 105.

de Temp.

Perdiderat Ioh omnia illa quæ dederat Deus; sed habebat ipsum omnia qui dederat, Deum. O virum putrem, & integrum! O fædum, & pulchrum! O vulneratum, & sanum! O in stercore sedentem, & in celo regnantem! Diues abundè fuit, qui omnibus ablatis, Deum retinuit, & in eo omnia.

Bernard.

Serm. 17.

in Pſal.

Qui habit.

Bonum proinde & mihi, inquiebat Staurophila, tribulari, Domine, dummodò ipse sis mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum mihi in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te vel in celo.

Pſal. 72, 25

Quid enim mihi est in celo, & à te quid volui super terram?

Rectum nunc, aiebat Christus, consecuta

es

es sensum, cum intelligis CRUCES esse glutinum, quo Deus animæ, & anima vicissim Deo conglutinatur. Non meministi quid sancta Gertrudis diuinitus aliquando intellexit? Reuelatum ei fuit, quod, quemadmodum annulus est signum desponsationis, ita aduersitas, tam corporalis quam spiritualis, humiliter propter Deum tolerata, sit verissimum signum diuine electionis, & quasi desponsatio animæ cum Deo: in tantum ut grauatus quisque confidenter dicere possit: *Annulo suo subarrhauit me Dominus meus.* Eadem & aliàs intellexit, quod quandoque Dominus (cuius deliciae sunt esse cum filijs hominum) nihil inueniens in homine propter quod placitâ dignatione ipsum adesse deceat, tribulationes vel molestias tam corporales quam spirituales immittit, ut inde habeat opportunitatem manendi cum illo, quia Scriptura veritatis dicit; *Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. Et rursus ipse Dominus: Cum ipso sum in tribulatione.*

Blof. Mon.
spirit. c. 10.

Blof. ibid.
Prou. 18,
31.

Pfal. 33, 19
Pfal. 90, 15

Prò quanta, exclamabat Staurophila, diuinæ miserationis dignatio! quis credat tantâ summâ illâ Maiestate vermem hominem fieri, ut quasi eius amicitiam ambiret, delicias suas fateatur esse cum filijs hominum? O Domine, quid est homo, quia magnificas eum, & quare apponis erga illum cor tuum? Tantum

Prou. 8, 31.

Iob 7, 17.

ne

ne hominis est familiaritas, vt ei CRVCEM & afflictionem immittas, vt iusto velut titulo ei adesse, ei te queas coniungere? Quàm admirabile mysterium, quòd CRVX, contēpta apud prudentes huius sæculi, arrha annulusque sit diuinæ desponsationis! O CRVX venerabilis, quàm abscondita est dignitas tua à cordibus eorum qui terrena sapiunt! Dicebat hæc Staurophila, & inardescibat animo, iamque vehementer & Christum & CRVCEM propter eum diligebat.

Fouendum hunc igniculū putauit Christus. Est, inquiebat, filia, & aliud in CRUCE quod alternum nutrire valeat amorem, nec amanti illud abscondam. Conciliatrix amoris, amantium est similitudo, & morum humorumque certa quædam cōgruentia. Tanto autem erga humanum genus amore incensus fui, vt *non rapinam arbitratus esse me æqualem Deo, memetipsum exinanierim formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Cur autem censes id me fecisse? nimirum vt ita homines ad me amandum allicerem, quibus per omnia assimilatus essem absque peccato. Nunc autem, dic mihi, quid arbitraris ab homine vicissim requiri? an non vt & ipse meam, quæ licet, affectet similitudinem, formam æmuletur, imitetur mores, sequatur

tur

tur vestigia? An non ideo cælestis Pater meus
 quos præsciuit, hos & prædestinavit conformes Rom. 8, 29
 fieri imaginis Filij sui? Quomodo autem, in-
 quiebat Staurophila, poterimus fieri confor-
 mes imaginis tuæ? Si, respõdebat Christus, ad
 exemplar vitæ & passionis meæ vitam mei
 imaginem vitæ & moribus exprimaris; & sic-
 cut ego propter vos CRUCEM suscepi, & in
 eâ mortuus fui, ita & vos per commune con- Leo Ser. 9.
de Quad.
 sortium CRUCIS, aliquid, quod propter vos
 gessi, agatis. Hoc scilicet est quod Apostolo-
 rum Princeps monebat communicare Chri- 1. Pet. 4, 13
Pet. Dam.
Serm. de
Inuent.
S. Crucis.
 sti passionibus. Qui autem CRUCEM portat,
 passioni Redemptoris sui verè communicat.
 Quælibet enim CRUX, quodlibet grauamen Blos. in Far.
Instit. vti-
liss. sub fin.
Thom. à
Kemp. l. 2.
de Imit.
Christi,
cap. 12.
 imaginem excellentissimæ passionis meæ re-
 fert, & in eo homo promereri potest perfectam
 eiusdem passionis participationem. Nemo si-
 quidem ita cordialiter sentit passionem Chri-
 sti, sicut is cui contigerit similia pati.

Quis loquetur, aiebat Staurophila, potentias Psal. 105, 2
 Domini? Quis enarrabit mirabiles adinuen-
 tiones amoris tui? Quid enim nobilius mili-
 ti, quàm deferre arma Regis? Quid gloriosius
 sponsæ, quàm assimilari sponso? Vnde sum-
 ma hæc mihi iam dignitas, abnegare meip-
 sam, & CRUCEM tollere post te? Ut enim, qui
 eiusdem sunt Ordinis, eodem vtuntur & ha-
 bitu; & quorum eadem insignia, vnius cen-
 sentur

sentur familiæ & nobilitatis : ita non iniuriâ Cruciferam me, tui Ordinis & de familiâ gloriabor esse IESV Crucifixi.

Gloriatio hæc, inquiebat Christus, non erit inanis: non solùm enim patienter CRUCEM ferens mihi conformatur, sed ego, velut ei vnitus, in eodem patior. Ipsum enim me fidelibus meis inclusi, vt quod eorum vni fiat, mihi factum reputem. Vnde Saulo Ecclesiam persequenti dicebam : *Saule, Saule, quid me persequeris?* Et in iudicio immiseri- cordibus dicturum me protestatus sum:

Act. 9, 4.

Matth. 23,
45.

Quamdiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Patior itaque in singulis membris meis, quibus vires & adiutorium suggero, vt tantò leuius sit CRUCEM ferre, quò meliore socio & auxiliatore decorantur.

August. in
Psalm. 61.

Iam, intelligo aiebat Staurophila, quid sibi voluerit Augustinus, cùm diceret : *Vnus homo cum capite & corpore suo Iesus Christus, Saluator corporis, & membrorum corporis, duo in carne vnâ, & in voce vnâ. Passiones itaque Christi non in solo Christo, imò passiones Christi, non nisi in Christo. Si enim Christum intel- ligas caput & corpus, passiones Christi non nisi in Christo.* Non minus, aiebat Christus, id intelligebat felicissima illa & verè beata Martyr Felicitas, quæ cùm in carcere parturiret, nec eiulatus posset comprimere, vnus ali-

aliquis lictorum acerbo scommate dixit: Si nec hos quidem dolores, ô femina, ferre queas silentio, illos quomodo feres, cum vreris, secaberis, laniaberis. Huic Felicitas prudentissimè & prorsus Christianè, Iam, inquit, pro me patior, at tunc in me passurus est Christus. Prout dixit, sic contigit. Nam cum feris obijceretur, nullos eiulatus, sed nec vllos gemitus prodebat.

Domine, subijciebat Staurophila, qui ista attentius expenderit, te scilicet afflicto adesse, tibi CRUCE cum desponsari, te ipsum in illo pati, huic procul dubio CRUX amara non accidet. Et mirum planè, ni toto eam pectore summissque votis ambiat. Quare minùs nunc stupeo generosum illud sanctissimæ Heroidis Teresiæ votum, quo inexplibili desiderio optabat AVT PATI AVT MORI. Quàm dulcis quoque erat CRUX Magdalenæ de Pazzi, quæ dicebat, se non desiderare breuem vitam & celerem mortem, quia in cælo nulla esset passio: *Desidero ergo, inquiebat, viuere diu, quia desidero amore Dei diu pati, non tantum martyria, sed & morbos, calumnias, infortunia, & quæuis aduersa.* Amanti igitur dulcis tribulatio, quæ acerba & prorsus intolerabilis non amanti. *Nonnumquam enim in tantum confortatur homo ex affectu tribulationis & aduersitatis,*

Vincen.
Puccinius
in Vitâ.

Thom. à
Kemp.
de Imit.
Christil. 2.
cap. 12.

ob

ob amorem conformitatis CRVCIS Christi, ut se sine dolore & tribulatione esse non vellent: quoniam tantò se acceptiorem Deo credit, quantò plura & grauiora pro eo ferre poterit. Neque verò, inquiebat Christus, addubitare ampliùs sciet, num ex amore CRVCES immittantur, cum eas philtra quædam & illecebras amoris ipsa cognoscas. Non enim sic calcem infusa accendit aqua, atque tribulatio in amantium mentibus diuinum amorem. CRVX sanè & afflictio bonum est occultum, quod nemo compensare queat: adeò ut si quis centum annos flexis à me genibus CRVCEM amicabilem precetur, nec sic tamen illam emereri possit. Equidem malim afflictiones creare ex nihilo, quàm amicos meos CRVCIS expertes relinquere.

Suso in
Dial. æter-
na Sap.
cap. 13.

